



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Index Capitvm Libri Qvarti De Trinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI DE TRINITATE.

- C**ap. 1. Tres personas esse vnus, & eiusdem essentia, ac natura.
 Cap. 2. Personas esse idem realiter in vna Deitate.
 Cap. 3. Occurritur fundamento contrarij erroris, sumpto ex principio illo, Quae sunt eadem vni tertio, &c.
 Cap. 4. De distinctione personarum ab essentia.
 Cap. 5. An relationes sint de essentia Deitatis.
 Cap. 6. In quo nonnulla dubia expediuntur, & satis fit fundamentis oppositis.
 Cap. 7. An Diuinitas sit de conceptu relationum.
 Cap. 8. Argumentis contrariae sententiae, & quibusdam dubijs satis fit.
 Cap. 9. De vnitae personarum in omnibus attributis.
 Cap. 10. Quomodo sit Omnipotentia in omnibus personis.
 Cap. 11. De vnitae personarum in substantia absoluta.
 Cap. 12. Tres diuinas personas vere, ac proprie esse, dicique vnum Deum, propter essentiae vnitatem.
 Cap. 13. De varijs modis attribuendi personis vnitatem Dei.
 Cap. 14. Pro quo supponat hic Deus, cum de tribus personis dicitur.
 Cap. 15. De equalitate, & similitudine personarum.
 Cap. 16. De trium personarum circuminsessione.

LIBER QVARTVS DE VERA VNITATE, ET IDENTITATE TRIVM PERSONARVM, ET OMNIBVS, QVAE AD ILLAM PERTINENT.

VM in superioribus ostensum fit, singulas personas esse verum DEVM, conitat habere inter se aliquam vnitatem. Hic ergo explicandum superest, quanam, & quanta sit, & in qua re, seu in quibus attributis, posita sit, & quia aequalitas, & similitudo ad vnitatem spectant, de illis etiam dicemus, ac tandem quibus vocibus apte explicetur haec vnitatis, adnotabimus.

CAPVT I.

Tres personas esse vnus, & eiusdem essentiae, ac naturae.

Nonnulli ex haereticis dixerunt in Trinitate esse plures Deitates, atque ita in re asserebant esse plures Deos. Ita refert de Peratis Theodoretus libro primo haereticarum fabularum capite 19. & de Ioanne Grammatico refert Nicephorus libro 18. Hist. capite 4. 6. & 48. Anselmus etiam libro de Incarnatione Verbi capite 1. indicat, hunc errorem suo tempore in Gallia pullulasse. Denique

Athanasius in Dialogo 3. de Trinitate refert, quosdam Arianos concessisse, Patrem & Filium esse distinctos Deos. Veruntamen illi aequiuoce, vel cum analogia utebantur nomine Dei, solumque Patrem concedebant esse supremum Deum. Nos autem supponimus, verum Deum esse tantum vnum, quo nihil est frequentius in Scriptura, & omnibus Concilijs, & Patribus. Imo, & ratione naturali est euident. Et probatur in principio primae partis, & in Metaphysica, & ideo de hoc fundamento quantum ad rem spectat, nihil hic amplius dicendum est.

Ex illo vero deducitur primo, In Patre, Filio, & Spiritu sancto esse vnam numero Deitatem. Quae res etiam de fide est: & sub eisdem fere verbis habetur in 6. Synod. Actio. 11. Et in eodem sensu definitur in capite *Damnatus*, de summa Trinitate, & fide Catholica, Patrem communicare Filio totam substantiam suam, id est, eandem naturam, & diuinitatem, vt ibidem exponitur, & probatur ex illo Ioan. 10. *Quod dedit mihi Pater, maius omnibus est.* Et ibidem ait Christus, *Ego, & Pater vnum sumus.* Vnde Damasus Papa in expositione fidei ad Paulinum, *Siquis (ait) non confiteatur Patris, Filij, & Spiritus sancti vnam diuinitatem, potestatem, & maiestatem, anathema sit.* Ratio